

05

A

942

DISPUTATIO POLITICA
DE
LEGIBUS

Quam

DEO DUCE

IN INCLYTA LEVCOREA

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Eximii

M. JOHANNIS MEISNERI Torg.

Facult. Phil. Adjuncti meritissimi.


Publicè ventilandam proponit

JOACHIMUS RÖDERUS

LUBECENSIS.

In Auditorio minori horis antemerid.

ad diem 16. Augusti.



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO MDCXLIII.

DISPUTATIO POLITICA
DE
LEGIBUS

DEO DICE

IN FACULTATE ANTONIANA

ANNO 1750



JOACHIMUS RÖDERUS

249 A 50

In theorie universi boni universi
ad diem 10. Augusti

WILHELMUS

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

ANNO MDCCLIII

CUM DEO

PRÆLOQUIUM.

Nullo sunt media, quibus Resp. administratur, Arma & Leges. Armis comparatur, Legibus conservatur. Est itaq; civitati nulla res tam necessaria aut utilis, quam bonarum Legum custodia. Cum enim corrupta sit hominis natura, adeoq; à primis statim annis ad malum proclivis, metu Legum coercenda est. Quare sine iis, nulla Resp. imò ne latronum quidem aut furum cohors subsistere unquam potuit. Quippe seditiones tollit lex, pacem verò & concordiam inter cives stabilit: Bonos præmiis, malos poenis afficit. Unde rectissimè anima & spiritus civitatis à *Cicerone* appellatur: Quemadmodum enim absq; animâ corpus vivere non potest, ita quoq; absq; Legibus Resp. diu feliciter stare nequit. Prætereo Philosophorum & Historicorum testimonia, qui Leges ad cælum usq; summis laudibus extollere non dubitarunt. Non dicam de præmiis ac poenis, quæ injustè sæpius à Magistratu distribuerentur, nisi Legum vis atq; autoritas ipsi objiciatur. Quanquam inficias ire non possumus reperiri in Historiis Resp. nonnullas, ut Aborigenum, de quibus *Sallust. bello Catil. Tacit. lib. 3. Annal. cap. 26. Liv. lib. 1. cap. 1.* Atheniensium, quorum facit mentionem *Justin. lib. 2. cap. 7.* quæ sine Legibus fuisse leguntur. Ast cum coalescere in populi unius corpus nullâ re, præterquam legibus poterant, è contrariò autem summâ harum gentium everio esset metuenda, Aboriginibus tanquam Romæ fundamento, jura dedit Romulus ap. *Liv. lib. 1. cap. 8.* Atheniensibus autem Solon, qui velut novam civitatem legibus suis condidit; uti loquitur *Justin. loc. allegat.* Valeant ergo, qui solam rationem nobis insitam sufficere asserunt, valeant, qui sapientiâ Magistratus omnia dirigi posse, ideoq; legibus opus non esse affirmant: cum enim tot sint casuum in Repub. varietates, tot voluptatum illecebræ, ita ut natura non modò impediatur, sed etiâ sæpissimè corrumpatur, neq; natura tantùm boni quicquam perficiet, neq; Magistratus sapientia tanta erit, ut omnia sine legum adminiculo rectè dijudicare possit. His jam præfatis, favente divino numine de legibus theses quasdam sumus exposituri: quod ut ordine decenti fiat, à duplici definitione, Nominis & Rei, initium facere studebimus.

A 2 THE-

TRia autem in explicandâ *nominis definitione* attendenda sunt.
Etymologia, Homonymia & Synonymia.

II. ETYMOLOGIAM vel derivationem legis quod spectat, sciendum est, non eodem modo eam ab omnibus derivari. *Isidor. lib. 2. Etymol. cap. 10. & Cicer. libr. 1. de Leg.* legem à *legendo* vel *deligendo* deducunt, quòd ab omnibus legi ac cognosci debeat. Alii à *ligando*, cum lex obliget vel ad obedientiam vel ad pœnam. Græcè *νόμος*, à *νέμειν*, cum per eam unicuiq; tribuatur, quod suum est: vel à *νόσος* & *νοῦς* quatenus à divinâ mente prodiens per humanam mentem in urbes manat. *Piccol. grad. 10. Phil. mor. cap. 23.* Germani eam vocant *Gesetz* vel *Satzung* / hoc est, statutum, tum quoniam certi quid in eâ statuitur, tum quod lex debeat esse rata, constans ac firma. Nos nullâ rejectâ *Cicer.* Etymologiam ut optimam communiterq; receptam retinemus; quippe quæ non tantum literarum cognationem habet, sed etiam naturam rei pulchrè exprimit.

III. Porro vocabulum legis interdum sumitur generaliter pro quavis regulâ ac normâ, quæ aliquid præscribit: interdum specialiter & magis propriè pro regulâ certæ communitati præscripta in salutem ejusdem communitatis. A nonnullis quoq; accipitur pro formâ cōtractus & pactionis: unde proverbium *Eâ lege atq; conditione, Rosin. l. 8. Antiq. Rom. c. 8.* Quarum tamen acceptionum diversarum sola tantum secunda ad institutum nostrum pertinet, reliquas suo loco relinquimus.

IV. SYNONYMA legis vicissim apud authores variant. Alii enim eam cum generali vocabulo juris confundunt, cum tamen jus propriè sit universale, lex particularis: alii eam sancitum, consultum, decretum, iudicium, mandatum, præscriptum, constitutionem, normam, & regulam &c. appellant, quæ synonyma maximam partem collegit *Meisner. lib. 1. de Leg. quest. 1.*

V. *Rei* definitionem, cum pleræq; passim apud autores suo vitio laborent, cum *D. D. Meisnero lib. 1. de Leg. quest. 4.* talem damus. *Lex est norma, DEO autore à Magistratu promulgata, intellectui pratico rectè agenda cum imperio & obligatione præscribens, ut tranquillitas Rerump. status conservetur.*

VI. Cau-

VI. Causalis hæc est definitio, omnibusq; legis speciebus satis accommodata. Genus posuimus *normam* juxta quam vivatur, ob verbi generalitatem, siquidem omnis lex norma est, quatinvis contra non omnis norma lex sit: Sic lex divina, naturalis & humana rectè norma dici possunt. Non igitur uni, sed omni legi competit. Causa Efficiens post DEUM cernitur in voce *Magistratus*, cui additur essentialè legis requisitum *promulgatio*. Materia in qua est *intellectus practicus*: in mente enim & voluntate lex omnis sita est. Materia circa quam reperitur in verbis *rectè agenda*, unde bonæ rectæq; actiones: quibus adjicitur forma *præscriptio obligatoria*, & deniq; finis, ut tranquillus Reipub. status conservetur.

VII. Hæc autem ut eò rectius pateant, latius nonnihil atq; dilucidius de singulis nobis est agendum.

VIII. Causa Efficiens vicissim est vel remota vel propinqua.

IX. Efficiens remota est DEUS, quippe à quo fonte omnis in condendis legibus justitia, omnisq; promanat sapientia: quicquid enim boni per leges in Reipub. redundat, à DEO earum autore proficiscitur. Quâ ratione incitati quoq; Ethnicorum legumlatores plurimi à DEO se leges suas accepisse gloriati sunt: ut Lycurgus, qui earum autorem Apollinem Delphicum fingebat *Justin. lib. 3. c. 3.* & Numa Pompilius, qui sibi cum Deâ Ægeriâ congressus nocturnos fuisse simulavit. *Liv. lib. 1. cap. 19. &c. Plura vide ap. D. D. Meisner. lib. 1. de Leg. quest. 3. Adam Conz. lib. 5. Polit. cap. 5. Piccolom. grad. 10. Philos. mor. cap. 27.*

X. Unde jam sequitur, necessariò ad legem requiri bonitatem, nisi quis etiã mala à DEO provenire asserere vellet impiè. Et quanquam nonnulli malas quoque leges olim viguisse historicorum scriptis probant e. gr. apud Sybaritas; *Nemo nostrum frugi esto.* Ephesios: *Nemo virtute excellens apud nos sit.* *Cic. 5. Tusc.* Nulla tamen earum vel lex est, vel legis nomen promeretur. Lex etenim fine suo nimirum salute publicâ destituta, itidemq; contra jura divina rectamq; rationem præscripta neminem obligat, cum DEO magis sit obediendum quàm hominibus, Nec obstat, quod in malâ Reipub. malæ debeant esse leges: id enim semper verum esse, non adeò facile probari posse videtur, & si aliquando est, emendari possunt, certè debent; Quod si fieri non possit, ferendum est, quod mutari nequit,

nequit, non tamen ideo maxime probandum. *Adam Konz. lib. 5. Polit. cap. 12. Greg. de Valent. Tom. 2. disp. 7. de Leg. quest. 1. punct. 1.*

XI. Pertinet huc Origo Legum vel causa impulsiva, quamobrem in Remp. sint introductæ: ubi propter solam hominum iniquitatem vel improbitatem eas fuisse inventas multi persuasum sibi habent: quibus tamen assensum præbere vix possumus. Cum enim justitia non tantum circa pœnas, sed etiam circa præmia recte distribuenda versetur, rectius nos facturos putamus, si & ob bonos remunerandos & malos pœnis afficiendos leges repertas esse statuamus. Etenim contempta jaceret virtus, nisi præmiis ad eam sæpius invitentur cives: æquum igitur est, ut unusquisque fructum suarum virtutum recteque factorum percipiat.

XII. Causa Efficiens *propinqua*, quam nos hoc loco maxime quærimus, sunt homines ita à Deo illustrati, adeoque partim naturæ, partim usu & experienciâ edocti, ut utiles Reique publicæ salutares leges invenire possint.

XIII. Anxiè autem nimis disquirunt plurimi, de primo legislatore, quasnam leges & quo tempore condiderit: quidam enim hoc adscribunt *Cereri* frugum Deæ. Sic enim de illâ *Ovid. 5. Metam.*

*Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit leges.*

Alii *Rhadamanto*, alii *Moyfi*, & aliis. Verum cum vix certi quid ex historiis de hac lite cognosci queat, ad Jctos eam remittimus, imprimis verò ad illos, qui de Origine Juris scripsere.

XIV. Porro potestas condendi leges à totâ communitate manat, ubi pro varietate Rerumpub. variè quoque Magistratui tribuitur; nec soli Principi in Monarchiâ, quod nonnulli volunt, jamdudum enim ista opinio rejecta est, sed omni Magistratui in quavis perfectâ Repub. In Monarchiâ potestas hæc offertur Principi: Regale etenim est, ideoque absoluto Principi non deneganda: cui si deest, jus Majestatis non habere censetur. In Aristocratiâ, hoc jus penes optimates residet, qui toto præsentente collegio ferre vel abrogare leges pro arbitratu possunt. In Democratiâ leges à totâ civitate feruntur, & ideo se populus veluti per communem consensum legi à se sancitæ sponte subjicit. *Petr. Gregor. Tholosan. lib. 10. de Repub. cap. 5.*

XV. Per-

XV. Pertinent huc boni Legislatoris requisita, quorum primas facile obtinet pietas, quæ si non adsit, vix boni quicquam ab ipso expectari potest. Nec sufficit, pietatem tantum colere Legislatorem, nisi curet quoque, ut cultus divinus sincerus & incorruptus vigeat. Altera est integritas vitæ, ex pietate fluens, cui si studuerit, amorem ac favorem subditorum facili negotio sibi conciliabit. Dein salutem civium & bonum publicum probe respiciat, nec non viros eruditos sibi associet, quæ omnia si rectè observaverit, dubium non erit, quin leges ab ipso provenientes cum lege divinâ & naturæ optimè congruant, prætereaque laudabiliter satis sint sancitæ atque constitutæ, Vid. pl. ap. *Meisner. lib. 4. de Leg. quest. 8.*

XVI. *Materia* legis duplex est. In quâ & circa quam. *Materia legis in quâ* est homo ratione constans, quippè in cuius intellectu leges formaliter consistunt. *Materia circa quam* sunt actiones humanæ, quæ ad bonum publicum & felicitatem totius civitatis respectum habent. Ferantur itaque leges, non de rebus æternis, supernaturalibus vel fortuitis; nullus enim prudens vel sanæ mentis Legislator unquam ejusmodi leges tulit: sed de rebus in nostrâ potestate positis, iisque, quæ frequenter accidunt: omnia enim legibus velle circumscribere, stolidum esset, in immensum enim crescerent, quod Reipub. valdè noxium habetur.

XVII. Præterea possibilia postulet lex, non impossibilia; finis etenim ejus est, ut observetur ab iis, queis lata est, quem finem consequi non potest, si sit impossibilis: quin & transgressores ejus injustè punirentur, si eam servare non potuissent; ad impossibile enim nemo obligatur. Deinde ad Rempub. lex quoque sit accommodata, nam propter varietatem populorum leges quoque variare necesse est. Sit perspicua, sit brevis, ut eò facilius ab imperitis teneatur: *jubeat non disputet*, *Senec. Epist. 95.* Vid. *D. D. Meisner. lib. 1. de Leg. quest. 3. & 5. Adam Conzzen. lib. 5. Polit. cap. 4. Simarca lib. 4. de Rep. cap. 8.*

XVIII. *Formam* facimus ipsam legis obligationem, quæ consistit in jussoriâ constitutione externarum actionum ad communem societatem pertinentium: vel ut voluntates & actus hominum conformentur ad voluntatem legislatoris. *D. D. Horn. lib. 4. Ethic. cap. 3.* Obligatio autem aliter in naturali, aliter in civili lege reperitur.

Lex

Lex naturæ obligat omnes homines, quos terrarum orbis continet, adeo ut à nemine in eâ dispensari possit: secus in lege civili, quæ eos tantum obligat, qui membrum sunt certæ cujusdam cõmunitatis. Quemadmodum ergo naturæ lex omnes, ita civilis obligat eos, quibus est præscripta. Excipiuntur tamen infantes, pueri, mente capti &c. hi enim cum ob rationis defectum leges non intelligant, excusandi sunt, neq; ob transgressionem earum puniendi. *Timpl. lib. 4. Polit. cap. 4. quest. 5.*

XI X. Hæc igitur cum jam per se satis pateant, dubium exinde oritur non leve tam apud Politicos, quam apud JCtos. Utrum & hæc obligatio procedat in Principe, qui aliàs passim legibus solutus dicitur? Negat *Hænon. disp. Polit. 9. n. 9. 10.* ubi legum solemnibus Principem tantum solutum esse sentit. Cui suffragatur *Bodin. lib. 1. de Rep. cap. 8.* qui, etsi multis loquatur de Jure condendi leges absoluto Principi reservato, nihilominus tamen sententiam suam satis declarat his verbis: *tametsi scelerum ultio à naturâ ducitur, pœnarum tamen acerbitas pendet ab hominum legibus ac institutis, quibus Princeps obligari non debet, nisi quatenus leges civiles congruunt equitati naturali: quâ sublata, Princeps omnino legibus hujusmodi solutus est.* Unde duo eliciuntur absurda. Alterum est, leges civiles non convenire cum æquitate naturali, quod durum nimis esset dictum: alterum est, si conveniant, quod tamen extra dubium antea posuimus, etiam pœnis earum Principem obligari atq; teneri. Confer *Adam Conzzen* qui eandem sententiam amplecti videtur *lib. 5. Polit. cap. 4 § 20.*

XX. Descendit autem potestas hæc ex lege Regiâ, cujus duplex in Historiâ mentio fit. Primò vocantur leges Regiæ, quæ à *Romulo* & successoribus ejus sunt latæ. Deinde magis specialiter lex Regia appellatur, quæ Augustum Imperatorem legibus solvit. Priores cum ipsis Regibus exspirarunt: tantum ergò de posterioribus est controversia. Hæc lex regia Augusti tempore lata est. Cum enim Imperator *Augustus* de reddenda Repub. cogitaret, eamq; ob causam coram Senatu populoq; Romæ publicè orationem recitaret, *Sueton. in August. cap. 28.* omnes ipsum precati sunt, ut Rempub: solus administraret: quam cum susciperet, populus ipsi omne suum imperium, omnemq; potestatem tradidit, simul addens, ut, quicquid

quicquid statueret, pro lege haberetur §. 6. *Inst. de jur. Nat. Gent. & Civ.* Alii legem hanc *Vespasiani* tempore latam esse autumant, quæ opinio vix stare posse videtur: aliàs enim injusti possessores fuissent *August. Tiberius* & alii Imperatores ante *Vespasianum*, quos tamen eodem jure usos fuisse legimus. *D. Arnif. lib. 2. de Repub. cap. 6. sect. 4. n. 32.*

XXI. Antequam autem ad quæstionem accingamur, præmittendum hîc primum est, frustra de hac quæstione disputari: *An Princeps sit solutus Legibus?* quando non determinatur, quod prius faciendum erat, *An Majestate plenâ utatur*, nam propter hanc solutus est Legibus, & in tantum solutus est, in quantum illam participat. *Arnif. lib. 1. de Majest. cap. 3. n. 1. Heider. cap. 3. de part. Reip. pag. 562.*

XXII. Deinde leges hic inter se sunt distinguendæ, earumq; divisiones quam maximè attendendæ. Lex alia est divina, alia naturalis, alia humana. Respectu hujus divisionis Rex est in duplici consideratione: vel enim consideratur ut subditus, vel ut Princeps. Respectu legis divinæ Regem non Regem, sed DEI subditum esse asserimus, ideoq; ejus Majestati & consequenter legibus subjectus censetur. Quoad jus naturæ non alia est ratio, nam leges naturæ sunt ipsæ leges divinæ, tantum ratione ab illis distinctæ. *Plurimum Reverendus atq; Excellentissimus D. D. Jacobus Martini, venerandus Academia nostræ Senior lib. 2. Polit. cap. 19. D. D. Meisner. lib. 4. de Leg. sect. 1. quest. 10.* quo & inclinare videtur *Piccolom. grad. 10. Phil. mor. cap. 19.* Accedit quod nemo plus juris in alterum transferre possit, quàm ipse habet: si ergo Populus Rom: jus Divinum ac naturæ in potestate suâ non habuit, neq; id ipsam per legem Regiam Augusto tradere, multò minus illo solum ipsum proclamare potuit. Summum igitur in Repub. imperium nihil ad divinas aut naturæ leges pertinet. *Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 8.*

XXIII. Restat dubium de Legibus humanis, quæ vicissim in duplici sunt differentiâ: vel enim toti feruntur communitati, vel tantum aliquibus in eadem viventibus: postremas quod attinget, iis Regem solutum esse libenter concedimus, quippe cum ad particulares tantum, e. gr. milites & alios pertineant. Vid.

B

D. D. Hor.

D. D. Hornæ. lib. 4. Ethic. cap. 3. n. 42. D. Meisner. lib. 4. de Leg. sect. 1. quest. 10.

XXIV. Quare de Universalibus hic tantum sermo est, in his enim totius quæstionis cardo vertitur. Diximus autem supra, summam majestatem in tantum esse solutam legibus, in quantum à summo quicquam participat. Cum enim hæc sit summæ potestatis natura, ut nec parem, cum neutra esset summa, nec superiorem absq; contradictione admittere possit, neq; legibus Principem alligari posse arbitramur. *Arnif. loc. cit. Barclaj. lib. 3. contra Monarchom. cap. 4.* Leges enim vel feruntur à Magistratu superiori, vel ab inferiori, vel ab æquali, vel ab ipsa Majestate. Non à superiori, quia talem non agnoscit, neq; ab inferiori, cum absurdum esset, subditos posse Magistratui præscribere Leges, quas ipse servare teneatur; nec ab æquali, cum neq; talem habeat. Ergo ab ipsa Majestate. Quod si verum est, Majestas Majestati dominari nequit; par enim in parem non habet imperium. Relinquitur ergo, Majestatem legibus esse solutam.

XXV. Distinguendum tamen est inter legis vim coactivam & directivam. Cujus distinctionis sensus hic est, teneri quidem Principem servare leges quoad vim directivam, hoc est, si alias peccata vitare, neq; conscientiam suam obligari velit; non tamen teneri quoad vim coactivam, ita ut pœnâ in officio contineri queat. Qui igitur Principem liberum pronunciat à Legum vi coactiva, eundem non statim liberum esse vult ab earum vi directiva. Ita sentiunt *D. Arnif. lib. 1. de Majest. cap. 3. n. 4. 5. D. D. Meisner. lib. 4. de Leg. cap. 10. Hornæ. lib. 4. Ethic. cap. 3. n. 42. Gregor. de Valent. Tom. 2. disp. 7. quest. 5. p. 4. Barclaj. lib. 3. contra Monarchom. cap. 15. Canonb. in Tacit. cap. 28.* Hac quoq; distinctione adhibitâ, facilis erit conciliatio, partim legum Civ. partim etiam Dd. inter se discordantium. *Barclaj. lib. 3. contra Monarchom. cap. 15.*

XXVI. His jam explicatis nova nobis subnascitur controversia. *An & leges humanæ habeant vim obligandi in conscientiis.* Affirmativam defendunt *Alfons. de Castro & alii.* Qui negant, accuratè distinguendum esse ajunt inter forum terrenum & conscientia, inter jus soli & poli &c. Nos vicissim distinctionibus

opus

opus esse arbitramur. Quædam enim Leges agunt vel de cultu divino, vel de rebus politicis. Rursus quæ de cultu divino agunt, vel cum Legibus divinis conveniunt, vel ab iisdem non multum discrepant. Leges de rebus politicis latæ sunt etiam in eodem censu, ita, ut vel ex divinâ & naturæ lege quasi sint erutæ, vel ab iisdem dissentiant. In prioribus cum res satis sit manifesta, tantum de posterioribus est quæstio; ubi tamen meritò locum habet distinctio inter transgressorem legis ex proæresi, contumaciâ & contemptu, itemq; ex ignorantia vel imbecillitate humanâ. *D. D. Horne. lib. 3. Ethic. cap. 13. n. 18.* ille tantum abest, ut obligetur in conscientia, ut potius ingenti poenâ dignus sit: Hic verò non immeritò excusatur: *Excellentiss. D. D. Jacobus Martini Cent. IV. Diss. IV. quest. X. Gerhard. Dec. 5. quest. 8. Meisner. lib. 4. de Leg. Sect. 1. q. 11. Greg. de Valent. Tom. 2. disp. 7. quest. 5. p. 6.*

XXVII. Verum enim verò cautè hæc accipienda sunt. Assertionem quod attinet, quando dicimus, obligare leges humanas, quæ cum divinis & naturalibus conveniunt, hominem in conscientia, eam non directè, sed indirectè vel per consequentiam à nobis accipi volumus. Cum enim Magistratus politicus non habeat potestatem in actus interiores, eamq; ob causam poenam malæ conscientie proportionatam in delinquentes statuere non possit, leges humanæ directè conscientiam obligare non possunt. Deinde cum Magistratus sit DEI vicarius, *Rom. 13. v. 3.* contra ejus Leges peccantis conscientia directè non obligatur: Quod egregio probat exemplo *Meisner. loc. sup. cit. de principe ejusq; Legato.* Verba ejus ita se habent. *Cum ipsa Principis persona afficitur contumeliâ, directæ est offensio, Si Legati persona, tum est indirectæ. Quod enim Legato, ut tali contingit, ipsi Principi factum censetur, non tamen directè, sed tantum indirectè & per consequentiam.* Hæc *Meisnerus.*

XXVIII. Formam excipit *Finis*, qui duplex, Subordinatus & Ultimus. *Finem subordinatum* salvis aliorum opinionibus probam & piam vitam civium esse statuimus. *D. D. Meisner. lib. 1. de Leg. quest. 3. th. 4. D. D. Christ. Matth. lib. 3. Syst. Polit. Exercit. 4. sect. 6. Timpl. lib. 4. cap. 4. quest. 4. Adam. Conzzen. lib. 5. Polit. cap. 6.*

Leges igitur à virtute sunt, nihilq; aliud quærunt, quàm virtutis
conservationem & propagationem, ex quâ tandem singulorum
felicitas confurgit.

XXIX. *Finis legum ultimus* vel externus est bonum publi-
cum, rei q; publicæ salus, quæ ex altero illo fine fluit. Ut enim
Medicina nihil conducit, nisi quoad corporis utilitatem spectat,
cum ejus causa sit instituta: sic à Legibus nihil potest proficisci,
nisi quod Reipub. conducat, quoniam ejus causa sunt comparatæ.
Hoc docent communiter *Excell. D. D. Jacobus Mart. lib. 2. Polit. cap. 31. Schönb. lib. 3. cap. 4. Timpl. loc. cit. Meisner. lib. 1. de Leg. quest. 3. Piccolom. grad. 10. cap. 28.*

XXX. Sequitur Legum *Divisio*, quæ apud omnes non eodem
modo pertractatur. Alii enim duas, alii tres, alii quatuor &
plures efficiunt Legum species. Nobis sufficit, si vulgatam il-
lam retineamus Divisionem in Legem Divinam, Naturalem &
Civilem. Legem naturæ rursus facimus duplicem. Primariam
& secundariam. Primaria est, quæ cum naturâ hominis imme-
diatè propagatur. Secundaria sunt Conclusiones, quæ ex le-
ge naturali primariâ originem trahunt. *D. Jacobus Mart. dict. loc. Christ. Matth. loc. sup. alleg. Horn. lib. 4. Ethic. cap. 3. n. 26.* Legem
naturæ primariam ad Legem divinam referunt. Secundariam
ad Legem humanam, quam vocant Jus gentium. *Christ. Matth. loc. cit.*

XXXI. Verum hæc ad nos non adeò spectant. Cum enim
nobis propositum sit agere potissimum de iis legibus, quæ ab
hominibus ferri possunt, Divinas & naturæ leges hic contempla-
ri instituti nostri non est. Quare sepositis hisce postremam Le-
gum speciem retinebimus, ejusq; definitionem perscrutabi-
mur.

XXXII. Lex autem *Civilis* aliter à Jctis, aliter à Politicis
definitur Jcti legem à Plebiscito, Senatusconsulto, Principum pla-
citis &c. contradistinguunt, quando in §. 4. *Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* Legem contra Plebiscitum & reliquas species ita defini-
unt. *Lex est, quam populus Rom. senatorio Magistratu interrogante*
[veluti Consule] constituerebat. Jctus Papinianus in *l. 1. ff. de LL. aliam*

aliam definitionem proponit. *Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ spontè vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis Reipub. sponsio.* Verum definitiones hæc considerare paululum, easq; explicare, cum sit fori alieni, intra limites nos meritò continentes Politicorum sententias atq; definitiones sumus exploraturi.

XXXIII. Varias autem ex variis autoribus definitiones adfert *Simanca lib. 4. de Repub. cap. 2.* quæ tamen non sunt satis accommodæ: Partim quod veræ definitionis requisita non habeant, partim quod de scriptiones potius quam definitiones appellandæ sint.

XXXIV. Nobis ita eam definiri posse videtur. *Lex Civilis est præceptum legitime Majestatis, fluens ex jure divino vel naturali, eiq; addens circumstantiam aliquam probabili ratione definitam in salutem & commodum communitatis.* D. D. *Jacob. Martini lib. 2. Polit. cap. 31. Meisner. lib. 4. de Leg. sect. 1. quest. 1. D. Christ. Matth. lib. 3. Syst. Polit. Exerc. 4. sect. 3.*

XXXV. Constat hæc definitio genere & Differentiâ. *Genus* facimus *præceptum*. Lex enim cum ad certam Categoriâ referri non possit, neq; certum ejus genus efficere possumus. Cum autem plurimum consistat in præcipiendo honesta & vetando inhonesta, *præceptum*, ut genus proximum & adæquatum ei accommodari non incommodè posse existimamus.

XXXVI. *Differentia* consistit in causis. *Efficiens* est *Majestas* [legitima tamen & absoluta] utpotè apud quam solam jus ferendi & abrogandi Leges residet. Materiam denotant verba, *fluens ex jure vel Divino vel naturali.* Ex quibus colligitur, divinis & naturæ legibus civiles contradicere non posse, sed si fiat, ejusmodi leges, non leges, sed iniqua potius statuta, adeoq; nihil minus, quam leges esse statuimus. Forma ponitur in iis verbis, quod lex Civilis ad Legem Naturalem debeat addere circumstantiam aliquam probabili ratione definitam. Lex itaq; Civilis nihil aliud est, quàm limitatio Legis naturalis ad certas circumstantias, quæ verò rectâ ratione sit facta, & sic ex prudentiâ orta. D. D. *Jacob. Mart. lib. 2. Polit. cap. 31.* Deniq; subjicitur finis *in salutem & commodum Reipub.* Nam quemadmodum omnia ita quoq; Leges meritò

meritò in salutem Reipub. feruntur. Tyrannicæ enim Leges sunt, quæ non publicum, sed privatum, non subditorum, sed Principis commodum tantummodo respiciunt. Unde tria observare debet lex humana: jus naturale, à quo debet habere fundamentum: bonum commune, ad quod est dirigenda: Subditos ipsos, quibus est applicanda.

XXXVII. Quemadmodum autem absq; aere, cibo ac potu homo, ita quoq; sine promulgatione leges consistere non possunt. Cum enim lex omnis norma actionum humanarum sit, ut ex discursu nostro patuit, hominibusq; vel agenda vel fugienda præscribat, in notitiam eorum venire necessariò debent, quos obligat. Quod rectius nisi per promulgationem fieri vix potest. Absq; ea enim si sit, nec lex est, nedum ut alios juxta præscriptum suum facere cogere possit. *Arnis. lib. 1. Polit. cap. 17. Horn. lib. 4. Ethic. cap. 3. n. 16.* Quam ob causam fortè Imperator *in proem. Instit.* leges promulgatas dixit, quas ipse edidit, proposuitq;. Et alibi *l. 9. C. de LL.* sacratissimas leges, quæ hominum vitas constringunt intelligi ab omnibus debere asserit.

XXXIIX. Nec reperire ullam gentem licet, quæ leges suas in obscuro esse voluit, aut subditis non patefieri. Etsi enim multæ leges in tabulas non relatæ, quales commemorat *Dion. Halicarnass. lib. 2. Antiquit. Rom. cap. 4.* tamen vel memoriæ mandabant, ut de Lacædemoniis *Plut.* commemorat, vel canere solebant, aut alio modo factas tectas asservabant, quod promulgationis loco esse potuit.

XXXIX. Quid? quod privatorum jussa ac monita, aut parentum apud liberos, aut præceptorum apud discipulos non magnum adeo pondus habeant, nisi intelligant, quid fieri ab illis velint, quid omitti? Et iniquum est, postulare ut observetur, quod nullo modo investigari potest. Ut enim ignoti nulla cupido est, sic nec præceptum cadere in illud potest.

XL. Restant jam pauca de tempore obligationis: An scilicet lex statim à puncto promulgationis obliget, an verò pro tempore aliquo subsequente? Ubi dicendum videtur, quod hoc totum dependeat ex voluntate Legislatoris. Quemadmodum enim leges condere in ipsius arbitrio positum est, ita quoq; eis deter-

determinare certum tempus, à quo incipiant obligare, ejusdem erit. Quando autem tempus non fuit additum, distinctè respondendum est. Lex enim vel fertur à Magistratu superiore, vel à Magistratu inferiore. Si ab inferiore, statim à primo promulgationis tempore ipsam obligare censent. Sin autem à superiore, post duos demum menses incipere obligare, prout decretum est. *Nov. 66. Vid. Meisner. lib. 4. de Leg. sect. 1. quest. 9. Greg. de Valent. T. 2. disp. 7. quest. 5. p. 4.*

XL I. Promulgationi addunt alii Scripturam, quam & ipsam de Essentiâ Legis esse contendunt. Ubi ad sententiam suam eò magis stabiliendam distinguunt inter legem scriptam & non scriptam. Ad legem scriptam essentialiter requiri scripturam ajunt, de lege autem non scripta aliter statuunt. Nos autem hoc negamus cum *Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 9.* ubi ait: *Scriptane sint leges an non Scriptæ, nihil interesse videtur.* Taceo, quod Lycurgus vetuerit leges suas scripto servari, ut eò melius servarentur animo: *Plut. in Lye.*

XL II. Verum cum interdum ejusmodi sit varietas & multitudo Legum, ut vix memoriâ servari à quoquam possint, scriptis eas mandari consultum arbitramur. Vox enim emissa perit, litera autem scripta manet. Moti sunt quoq; hac ratione pleræq; gentium, ut leges suas in scripturam redigerent. Cum igitur hoc jam ita usitatum sit, rectè consuetudinem istam retinemus, adeo ut meritò imprudenter facere Princeps dicendus sit, si legem sine scripto promulget. *Adam Konz. lib. 5. Polit. cap. 4. §. 1. 2.*

XL VIII. Necessarium porrò adjunctum Legis est Interpretatio, quæ haud in minori pretio, quam ipsa lex habenda est. Vulgo triplicem illam faciunt. Doctrinalem, Usualem & Authenticam. *Doctrinalis* est, quæ fit non pronunciendo, sed censendo & decidendo. Unde tot Jurisperiti in Academiis de sensu Legum disputant, ut quæ contraria sunt, aut videntur, vel abrogatione vel conciliatione componantur. *Usualis* est, quæ Usu & consuetudine est introducta. Viget hæc hodiè potissimum in camerâ, ubi, qui Juri in Academiis operam dederunt, usum juris hodiernum sibi acquirunt. *Authentica Interpretatio*

tio

tio est in Magistratu legitimam legis ferendæ potestatem habente. Itaq; absoluta potestas Monarchica, dum condendarum, explicandarum & abrogandarum Legum jus habet, Legi quoque communi derogare vel addere quid potest. Hinc benigna illa Juris interpretatio, æquitas, hinc dispensatio, hinc deniq; privilegia originem suam traxerunt. *Adam Conzzen. lib. 5. Polit. c. 5. §. 6. & cap. 15.*

XLIV. Monendos tamen esse Principes, eruditè docet *Petr. Gregor. Tholosan. lib. 9. de Repub. cap. 1.* ne in dispensatione ita utantur vel potius abutantur suâ potestate, ut poenæ genus in Jure divino contra ejus transgressores præscriptum injustâ atque immaturâ mitigatione vel mutetur, vel planè tollatur. Poena enim, quæ DEO placuit, Principi tanquam ejus subdito displicere nequit, nisi aliàs vel prudentior vel clementior DEO videri velit. Ut enim Magistratus inferior contra legem sui Principis, ita & Princeps contra legem DEI dispensare non potest, absq; aliquâ circumstantiâ, quæ cum lege divinâ consentiat.

XLV. Diximus supra duplicem esse legis obligationem. Alteram sub peccato, seu in foro, ut dicitur, conscientiæ: Alteram sub poenâ, seu in foro, ut dicitur externo. De priori egimus hætenus: sequitur obligatio posterior sub poenâ, vel, quod idem, Executio Legis. Hæc nisi justè observatur, Lex suam vim ac potestatem facile amittit. Reperiuntur enim quidam in Repub. tam nefarii ac improbi, ut nec benignitate, nec beneficiis ac præmiis in officio contineri possint, qui nisi asperitate poenarum tollantur vel emendentur, nihil aliud ab iis expectandum esset, quàm legum ac Magistratus contemptus, petulantia, rebellio & deniq; defectio. Obviam igitur eundum tanto malo atq; ejusmodi vulnus immedicabile eradicandum, ne pars adhuc integra faucietur & incendatur. Satius enim esset, non proferri leges, quam prolatis non obtemperari. *Nec ullus Reipub. usus est, quæ non habet nervos adversus delinquentes, inquit Philosoph. libr. 7. Polit. cap. 10.*

XLVI. Præterea omnes poenæ ad futurum respectum habere debent: neque ideò facinorosis infliguntur, quod certum quoddam delictum commiserint, cum præterita revocari non possint,

possint, sed ne in posterum delinquant, adeoque aliis exemplo sint: non secus ac Medicus, qui violento urendi & secandi remedio non eum in finem utitur, ut ægroti corpus torqueat aut maceret, sed ut pristinam ipsi sanitatem restituat: ita & pœnæ nō tam propter delicta jam perpetrata improbis inferuntur, sed ut toti communitati satisfiat, aliiq; ab ejusmodi peccatis deterreantur.

XLVII. Genera verò pœnarum apud autores variant, nam aliter olim, aliter hodiè frequentantur. *Francisc. Patritius lib. 3. de Instit. Repub.* octo pœnarum genera apud Rom. in usu fuisse scribit: damnum videlicet, exilium, vincula, verbera, talio, ignominia, servitus & mors. Patritio adstipulatur. *Adam Conzzen. lib. 5. Polit. cap. 10.*

XLVIII. Hodiè dividuntur pœnæ in capitales & non capitales. Capitales sunt, decollatio, suspendium, crematio, membrorum per rotam confractio, in aquam demersio, quibus alii addunt ad bestias & metallum damnationem, & alias, quæ tamen hodiè obsoleverunt. Non capitales sunt, fustigatio, relegatio, incarceration, compedes, vincula, membri amputatio, stigmatis inustio, & mulctatio, quas omnes ordine recenset *Schonborn. lib. 3. Polit. cap. 20.*

XLIX. Hæ sunt pœnæ, quæ apud nos obtinent. Attamen pro diversitate Regionum & populorum, e. gr. Turcarum, Persarum &c. adhuc aliæ sunt introductæ, cum autem huc non ita pertineant, suo loco illas relinquemus.

L. Quemadmodum autem nihil in mundo tam stabile aut firmum est, quod non mutationibus sit obnoxium, ita & Leges iis interdum subjici necesse est. Irrepiit enim nonnunquam in Rempub. tanta morum varietas, ut superbia, luxus, plurimæque alia mala, quæ nisi certis legibus circumscribantur & coarctentur, brevi in pejus ruere inciperet. De hac ergò Mutatione politicorum plurimi in diversas abeunt partes, quidam enim simpliciter eam approbant, quidam contra rejiciunt, pleriq; mediâ viâ procedunt.

LI. Mutationem hanc Legum indistinctè approbat *Francisc. Patrit. lib. 5. de Repub. cap. 5.* quando mutationem morum Le-

C

gum

gum quoque mutationem exigere asserit. Cui assentitur *Tholo-*
fan. lib. 7. de Repub. cap. 20. n. 20. qui tamen è diametro sibi ad-
versari videtur *lib. 10. cap. 5. n. 17.* ubi non facile Leges veteres mu-
tandas esse acriter defendit.

LII. Ad contrariam partem propugnat *Castellan. lib. 3. de*
Offic. Reg. cap. 22. non permittendum esse inquit, ut mores im-
mutentur, nec rectum esse, ut novis moribus Leges veteres in
desuetudinem abeant. Idem testatur *Bodin. lib. 4. de Repub. cap. 3.*
Schonb. lib. 3. cap. 9. Simanc. lib. 4. de Repub. cap. 10. u. Richter
Axiom. Polit. cccxi.

LIII. Verum enimvero, quanquam mutatio omnis, nisi
malà in re, pessima est, nihilque perniciosius Legum novitate,
cum majus periculum immincat, si leges, quibus stat Resp. mu-
tari aut moveri contigerit, nulla tamen lex tam sancta est,
quam non oporteat urgente necessitate mutari.

LIV. Pro decisione igitur hujus controversiæ dicendum
est, leges veteres, nisi inevitabilis Reipub. incumbat necessitas,
mutandas non esse: & licet paululum vitii ac labis secum tra-
hant, declinanda tamen esse ejusmodi incommoda parva, ne
majora exinde emergant. Siquidem plebs certis legibus se-
mel assueta, difficulter ab iis revocari potest, cum consuetudo
ipsi semel importata, ex postfacto fit inextinguibilis.

LVII. Quod si vero summa necessitas Legum antiqua-
tionem requirat, magnam circumspectione opus est: non enim fre-
quenter, sed raro, non cito, sed longam præcurrente deliberatio-
ne, non à quovis, sed à Magistratu, non duriter, sed leniter, non
citra, sed cum consensu populi suspicienda est. Quod si ali-
ter fiat, non tam remedium affertur, quam novum lethale vul-
nus Reipub. infligitur. *D. D. Jacob. Mart. lib. 2. Polit. cap. 31.*
Keckerm. in curs. Philos. disp. 30. probl. 2. Adam. Conzzen. lib. 5. Po-
lit. cap. 13. 17. Greg. de Valent. T. 2. disp. 7. quest. 5. punct. 8. Hænon.
disp. 1. Polit. n. 23. & disp. 8. n. 22. Timpl. lib. 4. Polit. cap. 4.
quest. 14. Heider. cap. 2. Polit. p. 554. Piccolom. gr. 10.
Phil. mor. cap. 24.

Tantum est.

AD

*Politissimum, eruditissimumq; Dn. Resp. n-
spondentem & Disputationis aucto-
rem.*

A Urea si primi superarent secula mundi,
Et detur antiquâ prosperitate frui;
Nulla in transversum raperetvis invida mentes,
Certarent studiis quisque subinde novis,
Nec sceleri sua poena foret, nec iudicis ira,
Non esset miseris fontibus ultor atrox,
Nunc ubi mutata in ferrum, rigidumq; metallum,
Et rigidi mores invaluere simul,
Inde cruces, carcer, lictorq;, rotæq; securesq;,
Et rigida haud frustra sceptrâ parata malis,
Hinc sua criminibus dictat consulta Lycurgus,
Inscribit tabulis verba severa Solon.
Hæc RÖDERE, doces, virtuti & præmia ponis,
Contra securos non finis esse malos,

f.

Præses

Iltra silent, quando arma sonant, tunc desinit omnis
Esse vigor legum, quarum reverentia nulla est,
Et quodvis vitium laxis bacchatur habenis.

Prisca

Prisca sat hæc monstrant, monstrant presentia secla,
Dum pravi tollunt cristas, & cornua sumunt,
Impunè occidunt, feriunt, rapiuntq̄, nec ulla
Judicis admoniti formidine cuncta profanant.
O quales mores! ô qualia tempora sunt hæc!
Non est postponenda tamen Lex ipsa, sed omni
Tempore eò magis omnibus inculcanda videtur.
Hoc quoniam, RÔDERE, facis, simul & conaris
Defensare theses doctas sub Preside Claro,
judice me, rectâ pulcra virtutis ad arcem
Sacratam tendis: juvenum que maxima laus est.
Fata tibi, spes certa mihi, meditantur honores,
Si pergas, studiisq̄ tuis haud segniter instes.

Præstantis, & ad summa quæq; nato
DN. JOACHIMO RÔDERO de Legibus dispu-
tanti amicitia & affinitatis lege paucula
hæc Imq; legare voluit, debuit.

M. Johannes Reiche Lubec.



05 A 942

ULB Halle

3


003 761 401



1017

del.





DISPUTATIO POLITICA
DE
LEGIBUS

Quam
DEO DUCE
IN INCLYTA LEVCOREA
SUB PRÆSIDIO
Viri Clarissimi atq; Eximii

M. JOHANNIS MEISNERI Torg.


Facult. Phil. Adjuncti meritissimi.

Publicè ventilandam proponit

JOACHIMUS RÖDERUS

LUBECENSIS.

*In Auditorio minori horis antemerid.
ad diem 16. Augusti.*



WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO MDCXLIII.

